Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32269
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

Et ille: Ego sum ihesus quem tu persequeris. Sed surge et
ingredere ciuitatem: et dicetur tibi quid te oportet facere. Viri
autem illi qui comitabantur eum stabant stupefacti audientes
quidem uocem: neminem autem uidentes. Surrexit
autem saulus de terra: apertisque oculis nichil uidebat. Ad
manus autem illum trahentes introduxerunt damascum. Et
erat ibi triduo diebus non uidens: et non manducauit neque bibit.
Erat autem quidam discipulus damasci nomine ananias: et
dixit ad illum in uisu dominus. Anania. At ille ait. Ecce
ego domine: Et dixit ad illum. Surge et uade in uicum
qui uocatur rectum: et quere in domo iude saulum nomine tar
sensem. Ecce enim orat. Et uidit uirum ananiam nomine
introeuntem et imponentem sibi manus: ut uisum recipi
at. Respondit autem ananias ait. Domine audiui multis
de uiro hoc: quanta mala sanctis tuis fecerit in ierusalem. Et
hic habet potestatem a principibus sacerdotum: alligandi omnes
qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eum dominus. Vade
quoniam uas electionis mihi est iste: ut portet nomen meum coram
gentibus et regibus et filiis israel. Ego enim ostendam illi quanta oportet eum pro nomine meo patiri. Et abiit
ananias et introiuit in domum: et imponens ei manus dixit.
Saule frater dominus misit me qui apparuit tibi in uia qua ueniebas: ut uideas et implearis spiritu sancto. Et protinus cecide
runt a oculis eius quasi squame: et uisum recepit. Et
surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum: confortatus
est. Fuit autem cum discipulis qui erant damasci per dies aliquot.
Et continuo in synagogis predicabat iesum quoniam hic est
filius dei. Stupebant autem omnes qui audiebant: et
dicebant. Nonne hic est qui expugnabat in ierusalem eos qui in
uocabant nomen istud: Et huc ad hoc ueniebat. ut uinctos illos duceret ad principes sacerdotum. Saulus autem ma
lescebat et confundebat iudeos qui habitabant damas
ci. affirmans quoniam hic est christus filius dei. Cum impleuissent autem dies
multi: consilium fecerunt iudei ut eum interficerent. Nota
uerunt autem insidie eorum. Custodiebant autem et por
tas die ac nocte: ut eum interficerent. Accipientes autem
eum discipuli eius nocte: per murum dimiserunt eum: sub
mittentes in sporta. Cum autem uenisset ierusalem:
temptabat se iungere discipulis: et omnes timebant
eum. non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehen
sum illum duxit ad apostolos. et enarrauit illis quomodo
uidisset dominum. et quia locutus est ei: et quomodo damasci
fiducialiter egisset in nomine iesu christi. Et hoc enim saulus quo
et paulus cognominatus est. cum euangizaret christum in uiribus ciuitatis: ue
nit lystram. Et erat in quidam infirmus pedibus sedens.
claudus ex utero matris suae: qui nunquam ambulauerat.
Hic audiuit paulum loquentem: qui intuitus eum. et uidens quo
niam habet fidem ut saluus fieret: dixit magna uoce: Surge super
pedes tuos recte. Et exilit et cepit ambulare. Cum
autem uidissent quod fecerat paulus: leuauerunt uocem suam.
Factum est autem cum illi nobis adorantibus: puellam quandam habentem
spiritum pithonis obuiare nobis. que questum magnum
prestabat dominis suis diuinando. Hec subsecuta paulum et
nos: clamabat dicens. Isti homines serui dei excelsi sunt:
qui annuntiant uobis uiam salutis. Hoc autem faciebat mul
tis diebus. Dolens autem paulus: conuersus spiritui dixit. Precipio
tibi in nomine iesu christi exire ab ea. Et exiit ab ea eadem
hora. Cum autem uenisset in asiam disputantes in scola tyranni
per menses tres ut omnes qui erant in asia audirent
uerbum dei atque gentiles: iudeosque non modicis diebus facie
bat per manus paulli. ita ut etiam super languidos deferrentur
a corpore eius sudaria et semicincta. et recedebant a eis
languores. et spiritus nequissimi egrediebantur. Inuenta autem sabbati
cum conuenissent ad frangendum panem. paulus disputa
bat eis profecturus in crastinum: prorogauit sermonem
usque in mediam noctem: Erant autem lampades copiose
in cenaculo. ubi erant congregati. Sedens autem quidam ado
lescens nomine eutichus super fenestram. cum ingrauatus somno
cecidit de tertio cenaculo deorsum: sublatusque est mortuus.
Ad quem cum descendisset paulus incubuit super eum: et
complexus dixit. Nolite turbari: anima enim ipsius in eo est.
Ascendens autem frangensque panem et gustans. satisque
allocutus usque in diluculum: sic profectus est. Adduxerunt autem
puerum uiuentem: et consolati sunt non modice. Post hec autem
paulus ascensa nauti: uenit in insulam quae dicitur mileto.
Barbari autem: prestabant non modicam humanitatem nobis.
Accensa autem pirra: reficiebat nos omnes propter imbrem
qui imminebat et frigus. Cum congregasset autem paulus sarmen
torum aliquantum multitudinem. et imposuisset super ignem:
uipera a calore cum prestisset. inuasit manum